

la bibliothèque de Carpentras (1). Outre un remaniement allemand de l'*Introductio* d'Abélard, de Benediktbeuren (2), j'ai signalé moi-même dans deux autres bibliothèques d'Allemagne des fragments de l'*Epitome* qui donnent une partie de la doctrine sur l'eucharistie : ce sont le cod. 591 de la bibliothèque de la ville de Trèves et le cod. W 4^o 137 des archives de la ville de Cologne ; ils prouvent que les écrits de l'école d'Abélard étaient connus en Rhénanie (3). Or, le manuscrit que nous analysons nous fournit une nouvelle preuve de la diffusion de ces écrits en Allemagne. Il contient en effet le septième exemplaire complet de l'*Epitome* de maître Hermann, le cinquième trouvé en Allemagne. A. Landgraf a prouvé récemment que deux œuvres de l'école abélardienne, conservées à Paris, dépendent de l'*Epitome* et l'ont utilisé de préférence à d'autres écrits de l'école (4). L'*Epitome* était donc vraiment, avec le *Theologia* d'Abélard, l'œuvre par excellence de l'école abélardienne. En nous en fournissant un nouvel exemplaire, le manuscrit de Munich contribue à nous faire mieux connaître les courants scientifiques et théologiques de son temps.

Valkenburg.

H. WEISWEILER, S. J.

Édition de texte.

Dialogus de filiis sacerdotum (a).

Magister : Quedam mandata laudabiliter mutari possunt, si necessitas vel utilitas exposcit. Canones enim iubent, ut nullus ex laicis episcopus ordinetur nisi per singulos gradus discrete ascendens vel per annum examinetur (5). At sanctus ambrosius subito rapitur cum adhuc

(a) Le titre est ajouté par nous.

(1) H. OSTLENDER, *Peter Abaelards Theologia und die Sentenzenbücher seiner Schule* (Breslauer theol. Dissertation), 1926. Cette dissertation n'a malheureusement pas été imprimée. Cfr du même auteur : *Die Sentenzenbücher der Schule Abaelards*, dans *Theologische Quartalschrift*, 1936, t. CXVII, p. 210.

(2) *Eine neue Bearbeitung von Abaelards « Introductio » und der Summa sententiarum*, dans *Scholastik*, 1934, t. IX, p. 347-371.

(3) Sur Trèves, cfr *ibid.* — Sur Cologne cfr. mon travail : *Das Schrifttum der Schule Anselms von Laon und Wilhelms von Champeaux in deutschen Bibliotheken*, Munster, 1936, p. 211.

(4) *Écrits théologiques de l'école d'Abélard*, Louvain, 1934.

(5) Cfr IVES DE CHARTRES, *Decretum*, V, 72 ; 102 (PL, CLXI, 350 ; 358).

esset catecuminus, subito dei gratiam consecutus et iniciatus sacris sacerdos est effectus. Iterum iubetur episcopum de una parochia ad alteram non migrare ⁽¹⁾. Quod autem migraverint, potes in tripartita historia legere ⁽²⁾. Item precipitur, ut episcopo vivente nullus superordinetur ⁽³⁾. Sed quis vel murmurare presumat et non potius laudet et gaudeat, quod ipponensis ecclesia beatum augustinum episcopum habuit ⁽⁴⁾ et tamen ippone suus adhuc inculpatus post non parvo tempore sedit. Sanctus epiphanius cyprius in ecclesia constantinopolitana nolente iohanne crysostomo ordinationem fecit et sacra celebravit. Quod cum iohannes constantinopolitanus ex canonibus reprehenderet, epiphanius inter cetera respondit non esse considerandum quid scilicet, quo tempore et quo modo, in quibus et quare factum sit; nullam inquiens in dei sacerdotio esse diversitatem, ubi caritas ecclesie dei providerit utilitatem. Preter hoc quam multa sunt utiliter pro tempore in rebus et personis per canones vetita, que utiliter in rebus et personis postea permiserunt agenda nullam in se per hoc patientes contrarietatem. Quibus tenditur ad caritatis unitatem, que semper hoc querit non quod sibi sed multorum propectibus prosit.

Discipulus. Vellem per aliquod concilium monstrari, si sententia contra prohibitas ordinationes data possit mutari.

Magister. Lege capitulum LXIV (a) ex concilio meldensi, quod repellit ab ordinibus generatos ex conubio vituperabili; et satis discrete sic indignos reprobat, ut utiles et necessarios temperanter (b) admittat, nisi forte inquiens maxima ecclesie necessitas et utilitas postulet aut evidens prerogativa meritorum commendet ⁽⁵⁾. Que discretio in aliis huiusmodi est capitulis servanda, ne canonum censura multis sacre scripture locis videatur esse contraria, cum in aliquas personas innocentes invehitur non per illorum culpam sed ad flagellandam in filiis parentum incontinentiam, per quam, sicut supra dictum est, iuxta vite sue modum et qualitatem nunc filii penas dant, nunc immunes a penis paternam infamiam summis etiam dignitatibus mutant, quoniam iuxta quod sanctus ieronimus in epistola ad salvinam loquitur, unusquisque non hominum sed rerum pondere iudicabitur ⁽⁶⁾.

Discipulus. Quamvis meldense capitulum sua discretione mihi satis fecerit, quomodo vel ipsum vel aliud huiusmodi intelligendum sit, vellem tamen nisi iam tediosus es, ut turonensis concilii quoddam

(a) LXXIV Clm. — (b) temperantes Clm.

(1) Cfr IVES DE CHARTRES, *Decretum*, V, 179 (PL, CLXI, 380).

(2) *Historia tripartita*, lib. 12, cap. 7 (PL, LXIX, 1208 et suiv.).

(3) Cfr IVES DE CHARTRES, *Decretum*, V, 302 (PL, CLXI, 416).

(4) Cfr *Historia tripartita*, lib. X, cap. 12 (PL, LXIX, 1174).

(5) MANSI, *Collectio amplissima*, t. XIV, 834. — Cfr REGINON DE PRUM, *Libri de ecclesiasticis disciplinis*, lib. I, can. 416 (PL, CXXXII, 273).

(6) *Epist.* LXXXI, n. 1 (PL, XXII, 724; *Corpus script. eccl. lat.*, t. LV, p. 87).

capitulum diligentius discuteret. Eos, inquit, quos publice leges non admittunt sed velut infamie maculis respersos respuunt et quasi degeneres despiciunt, ecclesiastica dignitas nullatenus recipit praesertim cum nil maculosum deo possit offerri vel eius servicio (a) applicari (1).

Magister. Istud revera capitulum de romanis legibus videtur esse compilatum ut incestuosorum filios exheredant, ut incesta tali consilio compescant. Sed et hos quare dignitas ecclesiastica non recipiat, finis capituli manifestat praesertim inquiring cum nil maculosum deo possit offerri vel eius servicio (b) applicari (2). Istas maculas melius intelligimus mentis quam nativitatis, salvo tamen intellectu, quem supra posui, ubi quedam propter reverentiam mandata sine culpa mutari posse per augustinum probavi. Alioquin intellectus cadit in heresim, que dum maliciam vicios eminis deputat, hominum naturam diversam putat contra illud sancti augustini, quod dicit in libro de bono coniugali : *Undecumque nascantur homines, si parentum vicia non sectentur et deum recte colant, honesti et salvi erunt* (3). Unde ne dicas in capitulo illo degeneres hoc est inhonestos, quos augustinus dicit honestos. Sequitur adhuc et dicit : *Semen hominis ex qualicumque homine dei creatura est et eo male utentibus male erit, non ipsum aliquando malum erit. Sicut autem boni filii adulterorum nulla defensio est* (c) *adulteriorum, sic mali filii coniugatorum nullum est crimen nuptiarum* (4). Et nos dicere possumus, quod sicut boni parentes malorum nulla defensio est viciorum, sic mali parentes bonorum nullum crimen est filiorum. Secundum hunc intellectum verborum sancti augustini numquid non datur intelligi, quod sicut malis filiis non prodest ad sacros ordines legitimum coniugium patrum, ita iusto dei iudicio bonis filiis non debet obesse concubitus parentum? Qui quamvis et non legitime coeunt, iuxta predictum augustini concumbentes sine deo creante generare non possunt, cuius opus magnum et mirabile bene consideranti stuporem ingerit mentis laudemque parit creatoris. Item in alio loco : *Procreatio, inquit, filiorum ad gloriam conubii non ad penam pertinet peccati* (5). Deus enim, ut idem doctor dicit, *de malis multa bona facit* (6). Toletanum concilium tantum invehitur in filios ordinatorum ut et contra leges addicat servituti filios

(a) sacrificio Clm. — (b) s. Clm. — (c) esse Clm.

(1) REGINON DE PRUM, *Libri de ecclesiasticis disciplinis*, lib. I, can. 418 (PL, CXXXII, 273).

(2) L. c.

(3) Cap. XVI (PL, XL, 386 ; *Corpus script. eccl. lat.*, t. XLI, p. 211).

(4) L. c.

(5) *De civitate dei*, lib. XIV, cap. 21 (PL, XLI, 4228 ; *Corpus script. eccl. lat.*, t. XLI, pars II, p. 45).

(6) *Epist. CLXVI*, cap. V, n. 15 (PL, XXXIII, 727 ; *Corpus script. eccl. lat.*, t. XLIV, 568).

ingenuarum matrum, quod nimirum ipsa sua vehementia luce clarius demonstrat, quod non tam ex divina iusticia quam humano consilio talis sententia procedat. At sancta ecclesia sensum potius predicti concilii quam verba considerans et in personis, quibus oportuit, eius severitatem mitigans quam plures ex eis non solum ad inferiores sed ad summos ordinum gradus provexit, quos ecclesie necessarios et utiles prospexit.

Discipulus. Utinam posses ostendere hanc preceptorum temperantiam ex auctoritate fieri posse.

Magister. Si credis Augustino, lege caput XV in eis questionum libro: *Nimia, inquit, iusticia peccatum incurrit; temperata vero iusticia perfectos facit. Non enim sine malicia est, qui multum iustus est* (1). Item in eodem: *Lex enim que seipsam mollire non potest, a nobis mitiganda est, ut possit prodesse sub se agentibus. Hic ergo non est multum iustus, qui dei imitator est* (2). Dei enim iusticia temperata est.

Discipulus. Quia de hoc mihi satisfactum esse video, aliquos de supradictis personis ordinatos ut edicas volo.

Magister. Noli, mihi molestus esse hoc a me postulans, quod per te potes habere. Lege libellum qui gesta pontificum dicitur, in quo facile cognoscetur, quantum ecclesie profuit, quod e (a) talibus sibi personis roma pontifices elegit. Et que civitas non habuit ex illis sacerdotes tam summos quam inferiores quorum sancta ecclesia veneratur vitam et doctrinam, miraculorum quoque gratiam a primitiva mox ecclesia usque ad moderna tempora.

Discipulus. Et quid temerarie faciunt, qui suum os in celum ponunt et sanctos dei iam cum Christo quiescentes invidiose lacerant, dum similibus personarum innocentiam infamant? Quenam auctoritas tanta eos instigat, ut nulla precedentium sanctitas vel presentium utilitas ab iniuriosa contradictione compescat?

Magister. Ut simpliciter fatear, aliqui faciunt invidia vel ambicione vel amore sui; aliqui certe zelo dei, quem (b) tamen non habent sicut apostolus dicit *secundum scientiam* (3), si in talibus personis nullam tenent discretionem et eligendi reprobantique temperantiam, presertim cum inter tantam in vetandis vel precipiendis canonum diligentiam nullam quam eis ordinationibus aperte contradicat inveniamus sententiam, nisi forte aliunde mutuemus et dialectico argumento, quod a simili et facile fallit, probemus sicut est: *Quos humane leges respuunt et quasi degeneres despiciunt* (4). Sed secundum beatum am-

(a) qui Clm. — (b) que Clm.

(1) Ps.-AUGUSTIN, *Quaestiones Veteris et Novi Testamenti CXXVII*, cap. XV (PL, XXXV, 2226; *Corpus script. eccl. lat.*, t. I, p. 41.)

(2) *L. c.* (PL, XXXV, 2226; *Corpus script. eccl. lat.*, t. I, p. 42).

(3) *Röm. x, 2.*

(4) REGINON DE PRUM, *Libri de ecclesiasticis disciplinis*, lib. I, can. 418 (PL, CXXXII, 273).

brosum non placuit deo in dialectica salvum facere populum suum. Legitur vero in canonibus, quod non ita in ecclesiasticis agendum sit negotiis sicut in secularibus.

Discipulus. Numquid sedicionarii audiendi sunt, qui bella movent de his, que in canonibus non sunt?

Magister. In sacrosanctis canonibus legitur, ut nulle cause a iudicibus ecclesiasticis audiantur, que legibus non continentur.